

sacram, quæ per talem cæremoniam designatur, quia ad hoc omnino est indifferens, nec habet connexionem determinatam cum tali mysterio, sed solum in quantum actio est representat suam causam, sive moralem, sive physicam. Ad repræsentandum ergo aliquid mysticum, id est, aliquid mysterium particulare, impositione indiget.

XVIII. Quod autem quæritur de auctoritate instituendi sacrificia, an sit publica, vel privata, respondeo, quoad significationem moralem non dependere ab auctoritate publica, quia hæc solum habet auctoritatem ad imponendum signa ad placitum; moralis autem significatio non est ex impositione, ut diximus, sed ex eo solum quod actus exterior dimanet ab interiori; quod utique a publica auctoritate non dependet. Quoad significationem autem mysticam, et quantum ad determinationem rerum et actionum quibus debet offerri sacrificium, et modi seu cæremoniae quibus offerendum est, per se pertinet ad potestatem publicam id instruere, et maxime ad institutionem Dei; per accidens autem potest aliquando pertinere ad personam privatam.

XIX. Declaratur hoc, quia sacrificium est cultus publicus, quem non solum privatae personæ, sed etiam tota communitas tenetur offerre Deo, eo quod subjectio ad Deum et recognitio servitutis supremæ pertinet ad totam communitatem; sicut reddere tributa regi non solum pertinet ad privatam personam, sed etiam ad totum regnum; sacrificium autem est tributum divinitatis, et ita soli Deo offertur; debet ergo per publicam auctoritatem designari, et determinari quibus actionibus, et rebus, et quibus cæremoniis iste cultus reddendus sit; sicut pertinet ad publicam potesta-

tem regni determinare in quibus rebus tributa reddenda sint, et qua observantia colenda sit majestas regia. Pertinet etiam religiosus cultus, et cæremoniae colendi Deum ad hoc ut homines in una republica vel communitate adunentur: sicut enim debet esse unum regimen, et unus modus legum, ita et unus modus colendi Deum; alioquin valde homines dissociantur, si in varias sectas circa religionem dividuntur; ergo maxime convenit adunari per publicam potestatem in modo sacrificiorum et rituum, et non permittere quod quilibet sua privata auctoritate sacrificia instituat. Et ideo Apostolus ad Hebræos v sacerdotium ponit tamquam publicam potestatem ab hominibus assumptam, dum inquit: *Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis*. Si autem ex hominibus assumitur, utique ad publicam potestatem spectat, quia fit a multis; et cum constituatur ad sacrificia offerenda, utique loquitur de pontifice ratione sacerdotii, quia sacerdotium et sacrificium correlative se habent, ut docet Tridentinum sess. xxiii, capite i: ergo sacrificium etiam pertinet ad publicam potestatem, quia est actus præcipuus sacerdotis, seu pontificis, qui est publica potestas. Maxime autem pertinet ad Deum, qui est summa potestas, sacrificia instituere, quia sicut pertinet ad potestatem regiam designare quid sibi offerendum sit in tributum, etiam pertinet ad potestatem divinam tributum divinitatis designare, quod est sacrificium. Et plerumque homines qui sacrificia instituerunt in lege naturæ, ex instinctu Dei id fecerunt, ut Abel, Noe, Melchisedech, etc. imo et agnus paschalis, qui erat sacrificium oblatum a privatis

personis in suis domibus, erat tamen institutum auctoritate divina, Exodi xii. Non tamen per hoc tollitur, quin etiam remoto divino instinctu possit quælibet respublica, attento jure naturali, sacrificia instituere in honorem Dei, quia ipso jure naturæ tenentur homines Deo offerre cultum illi maxime proprium et debitum, quod est sacrificium. Non tamen est simile de institutione sacramentorum, quia sacramenta essentialiter ordinantur ad sanctificandum nos per gratiam, quam significant; gratiam autem solus Deus dare potest, et consequenter solus instituere sacramenta. Sacrificium vero ordinatur ad reddendum Deo debitam subjectiorem, quod homo tenetur facere per seipsum.

XX. Cæterum per accidens potest etiam privata persona instituere et determinare sacrificia, quia licet connaturale sit homini socialiter vivere, potest tamen per accidens in aliquo casu solitariam vitam agere, et tunc poterit Deo reddere sacrificia, quia ipso jure naturæ tenetur Deum colere signo aliquo sensibili supremæ subjectiorem, quod est sacrificium. Et hoc est attendenda natura hominum secundum se, et quantum est ex ipso jure naturali præcise: attento enim jure positivo divino, modo non est potestas in hominibus ad instituenda sacrificia vero Deo, quia extra Ecclesiam non est sacrificium, et cultus veri Dei: in Ecclesia autem tantum est unicuique sacrificium institutum a Christo Domino in sacramento eucharistiæ, quia: « Uno explevit sacrificio variarum differentiam victimarum, » ut inquit S. Leo papa sermone vii de passione; de quo infra latius dicemus.

XXI. Colligitur denique ex dictis, dari præceptum jure naturali ad offerendum Deo sacrificium, loquen-

do in communi et vage; hoc enim, vel illud sacrificium determinare, pertinet ad jus positivum Dei vel reipublicæ; et modo determinatum est in nova lege sacrificium supernaturale, ad quod offerendum non tenetur homo naturali jure absolute, sed supposita ejus institutione tenetur jure positivo divino, et connaturaliter ad talem institutionem offerre illud Deo; et offerendo illud satisfacit juri naturali de offerendis sacrificiis.

XXII. Declaratur hoc, quia ut docet S. Thomas 2-2, quæstione lxxxv citata, articulo primo: « Homines ipso jure naturæ tenentur præstare Deo subjectionem, non solum interioribus actibus, sed aliquibus signis visibilibus, quia homo simpliciter est res sensibilis constans corpore et anima; » et sic non solum per actus animæ, sed etiam corporaliter tenetur Deo offerre cultum; id enim exigit natura hominum ut visibile sacrificium Deo offeratur, sicut docet Tridentinum sess. xxii, cap. ii: ergo tenentur aliqua exteriora signa Deo offerre in recognitionem hujus subjectionis; et hoc vocamus sacrificium.

XXIII. Dices, sufficere offerre Deo laudem, vel adorationem, vel orationem externam, aut aliud modum cultus, præter sacrificium. Respondetur non sufficere, quia per solam laudem, vel orationem, aut alium cultum externum nondum offertur Deo id quod propriissimum est in recognitionem supremi dominii; hoc enim fit præcipue per sacrificium. Sicut enim non sufficit pro recognitione dominii regalis ipsum regem laudare, vel etiam adorare, aut preces porrigere; sed ulterius requiritur tributum illi præstare et vectigal in recognitionem dominii illius, juxta illud Apostoli ad Rom. xiii: *Reddite omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vecti-*

gal: et Christus Dominus Lucæ xx: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari*: ita etiam non sufficit ad recognoscendum supremum dominium Dei in hac vita sola laus, vel adoratio et oratio externa; sed etiam oportet aliquid offerre ad modum specialis tributi divinitatis, quod vocamus sacrificium; ad quod etiam facit quod in omni lege, et in omni natione habente Dei notitiam semper curatum est ut sacrificia Deo offerrentur; ergo signum est omnes intellexisse ipso jure naturæ et lumine rationis, debere Deo offerri hoc genus cultus, et non sufficere alium modum colendi, quia per istum principaliter et specialiter fit protestatio divinitatis. Et ideo dæmones maxime sibi sacrificari amiebant, quia in hoc opere præcipue intelligitur recognitio divinitatis. Unde etiam in lege veteri sub pœna mortis prohibebatur alteri sacrificare quam Deo, quia erat proprius cultus Dei; non tamen prohibebatur laudare vel orare alterum, ut patet Exod. xxii: *Qui immolat diis, occidetur, præter Domino soli.*

XXIV. Quod vero jure naturæ non sit determinatum hoc vel illud in particulari offerre in sacrificium constat, quia in diversis temporibus et legibus varia sacrificia ordinata sunt, et illis omnibus satisfiebat huic præcepto; ergo ex præciso jure naturæ non determinatur quid offerendum sit, sed jure positivo, divino vel humano id terminatum et designatum est, sicut homines jure naturæ tenentur sustentare ministros Dei; quod vero talis determinata quantitas detur illis (scilicet decima pars fructuum) hoc est, de jure positivo; et dare tributa regibus est de jure naturæ: designare autem quantum debeat dari, pertinet ad jus positivum regis, vel regni. Quod si Deus designat pro sacrificio aliquid supernaturale, vel rei supernaturalis

significativum, obligabuntur homines ad illud offerendum jure positivo supernaturali; satisfaciunt tamen per illud præcepto juris naturalis, quia illud sacrificium taliter est supernaturale, quod etiam continet determinationem juris naturalis in exhibendo Deo cultum determinatum; et sic eminentiori modo adimplet jus naturæ: sicut qui ex charitate supernaturali amat proximum, et illi benefacit, implet jus naturale amandi ipsum secundum ordinem naturæ.

QUÆ RES SIT OFFERENDA IN SACRIFICIO, ET QUA ACTIONE?

XXV. Secundo inquires, an sit de ratione sacrificii communiter dicti, quod offeratur Deo aliqua res permanens, et qua actione id debeat fieri. Respondetur, quod sacrificium proprie dictum exigit quod res aliqua permanens offeratur Deo actione aliqua externa immutativa illius in honorem Dei. Ita sumitur ex S. Thoma 2-2, quæstione lxxxv, art. iii ad tertium, tenent communiter theologii. Pro quo notandum sicque est, quod divinus cultus non solum fit actibus internis, quibus anima subjicitur Deo (ut oratione et devotione) sed etiam actibus externis, quibus aliquid sensibiliter Deo offertur, vel erga ipsum exercetur, ut est adoratio externa, genuflexio, laus, seu oratio vocalis, votum, sacrificium, oblatio primitiarum aut decimarum, vel aliarum quarumcumque rerum in honorem Dei. Hinc fit, quod aliquando per translationem et metaphoram sumatur sacrificium pro omni opere, in quo cultus aliquis Deo exhibetur, aut quomodocumque ei servitur; aliquando vero sumitur sacrificium proprie pro illo opere protestativo

divinæ excellentiæ, quod fit per publicam potestatem, et relative se habet ad sacerdotium; et hoc vocant theologii sacrificium proprie et principaliter; aliud vero improprie et lato modo, contra hæreticos nostri temporis, qui negant sacrificium visibile debere offerri Deo.

XXVI. Et sic intelligitur, quomodo in Scriptura sæpe vocantur sacrificia opera bona et justa quæ fiunt in honorem Dei, improprie et lato modo; sicut Psal. iv: *Sacrificate sacrificium justitiæ*; et Psal. l: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*; et de laude externa dicitur Psal. xlix: *Sacrificium laudis honorificabit me*; et de operibus misericordiæ ad Hebr. xiii: *Beneficentiæ et communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus*; et generaliter de omni opere bono dicitur i Petr. ii: *Et ipsi tamquam lapides vivi superædificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias acceptabiles Deo per Jesum Christum*. Qua etiam ratione dixit Augustinus x de civitate, cap. vi: « Verum sacrificium est omne opus quod agitur, ut sancta societate Deo inhæreatur; » quod intelligitur esse verum sacrificium veritate erga Deum, non veritate æternæ cærimonie in protestationem divinitatis, quæ proprie sacrificium appellatur.

XXVII. Unde habemus etiam in Scriptura speciali et proprio modo dici sacrificium illum cultum externum, qui correlative dicitur ad sacerdotium, distinguiturque ab aliis oblationibus, juxta locum Apostoli sæpe repetitum ad Hebr. v: *Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis*; juxta quod declaravit Tridentinum sess. xxiii, cap. i, quod sacrificium et sacerdotium se habent correlative. Unde

distinguitur sacrificium proprium ab aliis operibus bonis et oblationibus, ut Oseæ vi: *Misericordiam volo, et non sacrificium*; et i Reg. xv: *Melior est obedientia, quam victimæ*; Psal. xxxiv: *Sacrificium et oblationem noluisti*; et Psal. l: *Acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes et holocausta*; quibus locis sacrificium, victima, holocaustum condistinguuntur ab aliis bonis operibus et oblationibus.

XXVIII. Ex quibus perspicue deducitur, debere dari sacrificium proprie et specialiter dictum, quod dicitur requirere oblationem alicujus rei permanentis, seu alicujus substantiæ sensibilis, cum aliqua actione immutativa facta in honorem De. Probatur, nam in omnibus sacrificiis, sive in lege naturæ, sive in lege veteri, aut in nostra constat sacrificia per aliquam oblationem fieri, ita quod sacrificare et offerre idem sint, ut Genes. viii: *Obtuli holocausta super altare*; et cap. xxii: *Offeres filium tuum in holocaustum*; Isai. i: *Ne offeratis ultra sacrificium frustra*; et Apostolus de omni pontifice dicit: *Quod constituitur ut offerat dona et sacrificia*. Hoc autem quod offerebatur Deo, non quomodocumque offerri debebat, ut esset sacrificium, nam etiam in templo offerebantur pecuniæ, aurum et argentum, lapides pretiosi, et alia multa donaria, et etiam modo offeruntur pro ornatu templi, nec tamen sunt sacrificia, nec oportet fieri a sacerdotibus; sed tunc oblationes erunt sacrificia, quando fit aliqua immolatio, et immutatio circa rem oblatam in honorem Dei, ut jugulatio arietis, effusio liquoris: et modo cum panis et calix consecratur et sumitur in honorem Dei. Cum enim per immutationem talium rerum fiat aliquis cultus specialis in honorem Dei, nec alius sit cultus publicus a potestate publica factus, nisi

iste, oportet aliquo speciali nomine appellari. Et sic vocatur in Scriptura sacrificium, victima aut holocaustum; ergo dicendum est, quod sacrificium dictum specialiter importat actionem immutativam alicujus substantiæ, ac rei permanentis in honorem Dei.

XXIX. Nec objici potest Melchisedech obtulisse Deo sacrificium, nec tamen aliquid in illo immutasse, quia solum legitur Genes. xiv: *Quod Melchisedech rex Salem protulit panem et vinum; erat enim sacerdos Dei altissimi.* Respondetur enim, quod licet Scriptura non referat quomodo immutaverit res illas Melchisedech, dubitandum tamen non est, aliquid circa illas fecisse, sive libationem vini, sive fractionem, aut distributionem panis. Neque enim protulit illas species, ut iterum secum ferret, sed ut Deo consecraret et dicaret. Dicitur enim ea protulisse, quia erat sacerdos; quæ causalis non simplicem prolationem significat, sed sacrificativam.

XXX. An vero requirantur plures actiones ad istam immutationem faciendam, aliqui requirunt unam actionem præparativam rei offerendæ, aliam oblativam, seu consecrativam illius, in qua perficiatur sacrificium; sed tamen quidquid sit, an aliquando plures actiones interveniant in sacrificio, tamen illa per quam fit immutatio ad divinum cultum offerendo rem aliquam, sufficit constituere sacrificium, verbi gratia, mactatio arietis, fractio panis, libatio liquoris, et quidquid amplius fit, non pertinet ad sacrificium essentialiter, sed dispositive et antecedenter.

XXXI. Tandem ex dictis elici potest definitio sacrificii et divisio. Definitio sacrificii proprie et generice sumpti est: « Oblatio externa soli Deo facta per legitimum ministrum, in qua res aliqua permanens im-

mutatur in honorem Dei, et protestationem supremæ ejus majestatis, et nostræ servitutis. Ponitur oblatio externa loco generis, quia communis est omnibus oblationibus. Dicitur sola Deo facta, ut designetur actio religiosa specialiter pertinens ad cultum Dei. Per legitimum ministrum, ad designandum quod sacrificium est actus publicus correlative se habens ad sacerdotium, quod est ministerium publicum. A privatis enim hominibus etiam multa offerri possunt, quæ non sunt sacrificia, ut argentum, vinum, oleum, candelæ, etc. Quod dicitur esse oblationem rei permanentis, ponitur ad differentiam rei transeuntis oblata Deo, ut genuflexionis, adorationis, precum, laudis vocalis, etc. Dicitur fieri cum mutatione rei, quæ offertur, ad differentiam oblationis, quæ aliquid permaneat et conservetur; sicut qui offert Ecclesiæ bona mobilia aut immobilia, ut in ea conserventur: sacrificium autem offert rem, non ut permaneat, sed ut destruat vel immutetur pro honore Dei, licet non semper requiratur totaliter rem destrui; sed sufficit aliquo modo eam immutari, ut liquorem effundi, vel libari. Denique dicitur, quod fiat in honorem Dei tamquam protestatio divinæ majestatis et nostræ servitutis, ad designandum intentionem sacrificantis, et proprium finem religiosi cultus specialiter divinam majestatem manifestantis. Ex hac autem parte, qua sacrificium protestativum est divinæ majestatis, potest etiam sacrificium induere aliquam mysticam significationem respectu alicujus mysterii supernaturalis, si Deus velit sic fieri talem protestationem: sed hoc non est de necessitate sacrificii, sed ex abundantia, ut supra dictum est.

XXXII. Divisio sacrificii multiplex

est; potest tamen reduci ad quinque capita. Nam primo potest dividi sacrificium ex parte materiæ: secundo, ex parte actionis seu formæ: tertio, ex parte modi: quarto, ex parte effectus: quinto ex parte status. Ex parte materiæ dividuntur sacrificia in libamina, quibus res liquidæ offerebantur; in victimas et hostias, quibus pecora immolabantur, et alia similia. Ex parte formæ seu actionis dividitur in holocaustum, quando totum animal cremabatur et consumebatur in honorem Dei; in hostias pacificas, vel pro peccato, in quibus aliquid consumebatur, aliquid vero servabatur sacerdotibus. Ex parte modi distinguitur sacrificium in cruentum et incruentum; illud fiebat per effusionem sanguinis, sicut quando pecora occidebantur, et sicut Christus fuit immolatus in cruce; istud fiebat sine cruore, ut quando fructus terræ offerebantur et modo species eucharistiæ. Ex parte effectus distinguitur sacrificium propitiatorium, quod est pro remissione peccati, aut pœna illius; eucharisticum, quod est bona gratia, seu in actionem gratiarum pro beneficiis acceptis; et impetratorium, quod fit pro beneficiis recipiendis; quæ omnes formalitates, seu rationes in nostro sacrificio conveniunt. Ex parte status distinguuntur sacrificia legis naturæ, legis veteris, et legis novæ, quæ secundum varias significationes mysticas distincta sunt; nihil tamen antiqua sacrificia conferebant ex opere operato, sed secundum fidem operantis effectum sortiebantur.

ARTICULUS II.

De sacrificio novæ legis: quid sit, et in quo consistat.

I. Primo inquiritur, an sit de fide dari proprium et verum sacrificium

in lege nova. Negant hæretici hujus temporis, dicentes solum debere dari sacrificium spirituale et improprium, quia: *Veri adoratores in spiritu adorabunt Patrem*, ut dicitur Joan. iv. Cæterum Ecclesia tamquam de fide certum sentit, dari verum et proprium sacrificium in lege nova, sicut et verum sacerdotium, ut definit Concilium Trinentinum sess. xxii, agens de proprio et visibili sacrificio: et in sess. xxiii, agens de sacerdotio, cum tamen hæretici (et specialiter Calvinus) dicant Christum Dominum dedisse nobis mensam, in qua epulemur, non altare super quod victimas offeramus; non sacerdotes consecrasset qui immolent, sed ministros qui sacrum epulum distribuunt: ideoque ipsi suos parochos ministros vocant, non sacerdotes.

II. Nihilominus tamen præter Ecclesiæ definitionem, quæ pro catholicis sufficit, contra hæreticos qui Ecclesiam non suscipiunt, deducitur argumentum ex Scriptura. Nam apertissime Malach. i prænuntiat futurum sacrificium in lege evangelica, cum dicitur: *Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus: et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.* Qui locus non potest intelligi de sacrificiis Judæis, quia illa non fuerunt in gentibus, nec in omni loco ab ortu solis ad occasum, sed solum in Judæa. Quod si Judæi per totum orbem sunt dispersi, non tamen in illis, sed in gentibus offerendum dicitur hoc sacrificium. Nec etiam intelligi potest de sacrificiis gentium fidelium (aliqui enim gentium habuerunt veram fidem Dei) qui tunc inveniebantur, ut interpretatur Arias Montanus super caput primum Malachiæ: hoc enim omnino stare non potest; tum, quia gentiles isti fideles, qui tunc erant, paucissimi in-